



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De aspiratione ad cælestia. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

minum iactaris; ita ut solius Dei memor sis, in quo vita, salus, & requies summa est; petierisque, ut cum ipso felici vita viuas, & amodo non reuertaris ad miseras istas; quamdiu tale aliquid tibi sentire donatur, cur negare potes, quod introduxit te rex in cellaria sua? Nec Deo difficile est ostendere tibi charitatem suam, ut videas eius arcana in altissimis cōdita, pro cuius amore libenter exteriora opera ministrare non recusas, quantumcumque sint humilia & despecta.

§. 7. De aspiratione ad caelestia.

Hoc tamen tuum est, dignè Deo conuersari, & in externis negotiis mentem à supernis non auertere: sed ad illa gustanda secreta, de nouo semper aspirare. Quàm felix eris, si internæ Dei vocationi, sine mora gratulanter occurreris? Si hoc vel alio etiam modo dixeris: Domine, qui laborem & dolorem confideras, quam libentissimè ad te venirem, optimè nosti. Ecce assum, fiat mihi secundum verbum tuum, quod olim dixisti: *Et ego manifestabo ei me ipsum.* Sed & hoc erat, & semper est desiderium meum. Utinam inueniam gratiã in oculis tuis, & tibi placeat pauperculum seruitium meum. Nil quippe sic charum esse poterit serulo tuo, sicut habere gratiam in conspectu tuo; & agnosci inter filios tuos, qui nec dignus sũ vocari seruus tuus. Domine, quicquid dico, quicquid aliud desidero, ecce totus in manibus tuis sum, fac mihi secundum verbum tuum, secundum beneplacitum tuum, secundum ordinationem tuam, & secundum omnem voluntatem tuam.

Psal. 9.

Ioan. 14.

§. 8. De spiritali esu & potu, de cellariis Christi.

Adhuc te cū Domino fermocinante, si dixerit tibi: Qui mihi ministrat, me sequatur; sequere eum, quocunque ierit. Qui scis, an velit præire, & præparare viam, atque aperire signacula, ut introducaris in cellaria sua? Sequere eum, & quodecumque tibi dixerit, facito. Si dixerit tibi, bibe; etiam bibe de calice eius. Est enim vinum hoc optimum, & cellaria nostra non habent simile. Charitas enim vinũ est. Dum ergo implevis illa, optimo vino inebriaris. Vbi inuenies eam, nisi in cellariis eius? Et quod est precium eius: Non comparabit eam quis nummis, sed spretis illis & omnibus, quæ sunt mundi. Bibe charissime, & inebriare dulcedine charitatis: Ecce hydria coram te est, & fons vitæ. Deus enim charitas est. Si dixerit comede, quodecumque inuenieris comede: Totum bonũ est, quicquid ibi reconditum vides. Mel inuenisti, comede quod satis est. Si obtulerit etiam partem piscis affi & fauũ mellis, sume reliquias eius. Cumque liquatæ fuerint in ore tuo, facient te sentire mirabilem dulcem diuinam. Aperiat ipse

1. Ioan. 4.

Prou. 25.

Luca 24.